



5. 1758, 2. 35
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE
FEVDIS CENSVM

122
P 331
QVAM
SVB DIVINIS AVSPICIIS
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ELECTORALI ACADEMIA ERFORDIENSI
PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTO-
RALIBVS

DIE II. OCTOBRIS A. AE. C. MDCCLVIII.

H. L. Q. C.

SINE PRAESIDE

PVBLICE TVEBITVR

CHRISTIAN. FRIDER. IMMANVEL
SCHORCH

ERFORDIENSIS.

ERFORDIAE,
Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.





I. N. I.
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
FEVDIS CENSVM

§. I.



eudorum, per quae in genere intelligimus res alteri cum certa restrictione & sub lege fidelitatis praestandae in utilitatem concessas, vsum latissime patere, & in rebus omnibus consistere posse, quae in alium transferri queunt, & ex quibus Vasallo vtilitas obuenit, quae eum, vt pro fidelitate illas accipiat, mouere possit, explorati iuris est. 1) Itaque habemus exempla feudorum, quibus non res corporales solum, mobiles & immobiles, sed incorporales

A 2

etiam

etiam & iura varia honorifica & vtilia, interdum quoque admodum singularia 2), fidelitatis lege in beneficium concessa sunt. In numero vero feudorum, quae in rebus incorporalibus consistunt, reperimus quoque feuda Censuum, siue iuris census exigendi, quae propter vtilitatem suam non in infimis habenda sunt, & proin obseruatione aliqua non indigna videntur. Cumque de illis, quantum nobis quidem innotuit, nemo adhuc singulariter & professa industria egerit, nos ea specimini huic Academico destinauimus, illaque quae circa ea notatu digna nobis occurrerunt, pro ingenii & scientiae modo proponemus, & subinde ex chartis & litteris Clientelaribus illustrabimus.

- 1) vid. *Illustr. Dn. de SENCKENBERG Iur. Feud. prim. lineas p. II. c. 9. §. 182. STRVV. Elem. I. Feud. §. 100.*
- 2) de his confer. *Illustr. BVDER. in Amoenit. Iur. Feud. Obs. 13. exempli loco esse quoque possunt, quando Dominos de Rappolstein a Carolo V. infeudatos reperimus de iure allen so in die Abt erkläret worden, so fern solcher nicht von dem Kayser selbst oder dem Cammergericht geschoben, Auffenthalt auf eine Zeit zu geben. apud LVNIG in Corp. I. F. Germ. T. I. p. 1095. Item quando Rudolphus II. apud eundem LVNIG c. I. p. 398. 399. Lotharingiae Duci in feudum dedit ius, vi cuius omnia duella coram eo fieri debeant, si qui in terra inter Rhenum & Mosam duellare voluerint etc. Porro quando Ludouicus Bauarus Gotfrido Comiti de Arnsbergh confert ius primam pugnam habendi (in certis casibus) que vulgo dicitur Forßtritt. ap. LVNIG. c. I. p. 398. n. 11. Tandem huc pertinet, quando Landgrauii Thuring.*
&

& Margravii Misniae apud HORN. in vita *Friderici Bellicos.* p. 753. n. 141. cui Lommatshienfi conferunt *das Schultzeißen Ampte cum iuribus das wer daseibins Fleischober recht gewinnet, der soll ym eynen braten ader czwene groschin geben. - sijn Vibe sal fry gebn vor den Hirten cet.*

§. II.

Ante vero quam ipsam tractationem ingrediamur, e re esse viderur, quaedam de censibus praemittere, quo viam nobis muniamus ad ipsam feudorum censuum naturam definiendam & cognoscendam. Deriuatur autem vocabulum Censuum a verbo Censeo, censere, & est vocabulum *κατάσκευα*. Quod ad potiores eius significatus attinet, notat illud I. *patrimonium, facultates, fortunas.* 1) Antiquitus enim in Romana Republica constitutum erat, ut ciues & nomen & familiam & pecuniarum habitum publice profiterentur, ut de Reipublicae viribus hoc certius constaret, & publica tributa pro modo facultatum, proque patrimoniorum discriminibus imponi possent. 2) Haec itaque substantia, quam quisque apud Censorem erat professus, *census* vocabatur. II. Notat *ipsam actum censitionis* & bonorum descriptionis 3) III. sumitur pro *ipsa praestatione publica* reipublicae facienda 4) IV. accipitur pro *tabulis* in quibus bona ciuium descripta sunt. 5) Verum hae significationes omnes parum hic iuant, cum omnes statum publicum, causasque & praestationes publicas supponant. Propiores nostro instituto sunt illae significationes, quibus partim V. pro *annuis praestationibus quibuscunque* priuatis ex contractu

cenfuali vel aliis ex caufis faciendis 6) & imprimis pro illis *praestationibus*, quibus in Germania bona hominum *proprium* & *ruflicorum* fubiefta funt, accipitur 7) partim etiam VI. pro iure has praestationes annuas percipiendi adhibetur. 8)

- 1) l. 16. π. ad S. C. Trebell. l. ult. §. 14. C. de iure delib. & in illo OVIDII
- - dat Cenfus honores
Cenfus amicitias - -
- 2) testes huius instituti, cuius auctor SERVIVS TVLLIVS est, funt FLORVS L. I. c. 6. LIV. L. I. c. 42.
- 3) l. 2. §. 17. de Orig. I. l. 10. π. de probat.
- 4) v. tit. C. de Cenfib. & Cenfr. & tit. C. Theodof. de Cenf. 5) l. 10. π. de probat. l. 11. π. fin. regund.
- 6) in hoc fignificatu ius Can. quoque illud vocabulum vſurpat. v. LANCELOT. *Inſt. Iur. Can.* L. II. t. 21. add. ZIEGLER ad h. t. & GONZALEZ TELLEZ ad cap. VII. X. de Cenfibus.
- 7) v. Dn. BVRI *Erläuterung des Lebn-Rechts* p. 799. & tales vocantur paſſim in chartis antiquis *arme Lute*, *arme Mannen*.
- 8) FRANTZKIVS de *Laudem.* c. 10. n. 34.

§. III.

Vocabulum cenfus in penultimo illo fignificatu §. 2. V. ſumtum aequipollet fere *annuis penſionibus*, *reditibus*, *decimis* I), *obventionibus*, *iährliche Renten*, *Zinſen*, *Gälten*. Ceterum cenfus primario ab obiecto in *pecuniarios* & *fructuarios* diuiduntur, prout vel pecuniae quan-

quantitas, vel certus frumenti aliorumque fructuum modus in praestationem venit. Innumerae enim sunt censuum species, & fere omnia ad victum & amictum pertinentia Censuum nomine exigere mos fuit, 2) eorumque praestatio plerumque in festo die vel die sancto alicui sacro fieri debuit, inde *Martins-Gänse*, *Ostereyer*, *Pfingstkäse*, *Faschnachtsbühner*, *Catharinenzinse* cer.

- 1) Saepe enim decimae seculares Censuum nomine veniunt, & sub generali censuum adpellatione continentur. Nec sine ratione. Pro comperto enim est, praestationes hominum propriorum, quas census vocamus, saepe in decimis constituisse. vid. POTGIESSER *de statu Servorum L. II. c. 6. §. 2.* ZIEGLER *de iure villualium c. 4. n. 37.* ibique allegatos. Vnde non raro censibus in feudum collatis, decimarum quoque mentio iniici solet.
- 2) Sic frequentissime in chartis & inuestiturae litteris occurrunt praestationes *der Zinsbühner*, *Capaunen*, *Münchskäse* id est caseorum magnorum, *Kraut*, *Oel*, *Pfeffer* *Rüben*, *Wachs* cer. plures species allegat ex Registro Prumiensi POTGIESSER *cit. l. L. II. c. 6. §. 5.*

§. IV.

Ius hoc Censiticum §. 2. n. V. ab antiquissimis temporibus in Germania cognitum est, vsuque servatum & fere Germanorum proprium fuit ius. Inde aliquando etiam in chartis antiquis *ius Theorunicum* vocari memini 1). TACITVS iam eiusmodi praestationum mentionem facit. 2) Origo vero huius iuris non una sed multiplex & varia fuit. In principio quidem & illis temporibus, de quibus TACITVS refert, certum videtur

detur, censuum exactiorem fuisse effectum potestatis dominicae, ita ut qui obnoxius illi fuit, tales annuos census iure seruitutis domino praestare obligatus fuerit. Subsequentibus vero temporibus haec Censuum praestatio, quae fiebat ab hominibus propriis, non duravit solum, & adhuc dum durat, sed praeterea etiam multae aliae causae superuenerunt, ex quibus hae praestationes natae sunt. Edoceatur enim documentis & formulis antiquis, census modo in signum reseruari dominii directi, modo in memoriam pristini dominii, modo in signum protectionis, subiectionis, exemptionis, factae olim oblationis, modo pro concessione iurium & pro sexcentis aliis causis constitutos esse, 3) & non ab hominibus propriis tantum, sed a manumissis etiam, imo ingenuis, qui in primis saepe Ecclesiis ad censum se obtulerunt, quid quod? ab ipsis ecclesiis aliis in signum grati animi propter bona ecclesiae data praestitos fuisse. 4) Maxima quoque ius hoc Censiticum incrementa cepit, in primis quod attinet ad *censum*, quem *constitutum* vocant, medio aeuo, ubi leges Canonicae vsuras prohibentes per contractum annuorum reddituum eludebantur. 5)

1) v. chartas ap. Dn. BVRI in *Erläuterung des Lehn-Rechts* p. 794. 796.

2) *de moribus German.* c. 25.

3) egregie de omnibus his causis egit, omniaque Diplomacibus illustravit BOEHMER *diff. de Vario Censuum signis. Et iure*, quae inserta est *Ej. Juri E. P. L. III. r. 39.* adde BVRI *cit. l. p. 787.* & POTGIESSER *c. loc. L. II. c. 6.*

4) vid.

4) vid BURI *cit.* l. p. 793.

5) ita communis Dd. fert sententia, iuxta quam quoque historiam annuorum reddituum tradit LEYSER in *Medit. ad π. spec.* 252. m. l. ubi ipsos Pontifices sui commodi causa hunc contractum elusorium inuenisse & roborasse dicit, per *cap.* 1. & 2. *Extravag. commun. de Emt. Vend.* In alia omnia vero iuit Dn. de MEIERN in *Tr. Von der Rechtmäßigkeit des Vltzen Zinsthalers in Deutschland.* ubi a Pontifice & Clero Romano hanc obiectionem amoliri voluit, quasi hi annui redditus ab ipsis eludendarum constitutionum causa, quibus antiquiores Pontifices vsuras omnes damnarant, reperti essent, ostendendo ab antiquissimis temporibus contractum hunc in Germania frequentatum esse, nec ibi vnquam Pontificum antiquiorum Constitutiones vigorem & auctoritatem nactas esse. vid. §. 8. 9. 10. 199.

§. V.

Enumerauimus haecenus potiores censuum significationes & causas, propius nunc ad institutum nostrum accedere, & quid per *feudum Censum* siue *Censuum* intelligamus, indicare opus erit. Et primo quidem loco monere iuuabit, nos in praesenti vocabulum *Census* sumere in significato loco vltimo (§. II. n. VI.) adducto. Ius enim praestationes illas annuas de quibus (§. II. n. V.) dictum, ^{percipiunt} saepe feudale factum est, & Vassallis sub fidelitatis & nexus feudalis lege concessum, feudorum speciem peculiarem constituere coepit. Definimus itaque *feudum Censuum*, quod sit ius percipiendi annuos census a Domino Vassallo cum certa restrictione & sub lege fidelitatis concessum. Existentiam eiusmodi feudorum probant Diplomata & litterae Clientelares,

B

ex

ex quibus Vafallos hoc iure fuiſſe inueſtitos elucet 1). Plura in ſequentibus exempla dabimus. Hic commemorabimus vnum faltem quod HORNIVS 2) ſuppeditat. Nimirum Fridericus Wilhelmus & Fridericus Landgrauii Thuringiae & Margrauii Miſniae a. 1408. inueſtuerunt ciues quosdam Dresdenſes
zu einem Samm lehn vor ſi b und ihre rechte Leibeslehnserben mit XI. Schock und VI. gl. ierlicher Zeiſe und Gulde - - in den Dorffen zu Mozkerus und ſtraulin gelegen, und mit VII. Schock und LIII. gl. - - ferner mit IX. Schock und XLVI. gl. alles ierlicher gulde - - cer.
 Dantur quoque aliquot eiusmodi feuda Cenfus hic Erfordiae, quae partim a Domo Electorali & Ducali Saxonica, partim a Domo Schwartzburgica, partim a Comitibus Hartzfeldenſibus, & quondam a Comitibus Glichenſibus, conferuntur 3). De quorum indole inferius aliqua prolaturi ſumus.

- 1) mentio quoque horum feudorum fieri videtur in *Iure feud. Alem. vid. c. 24. § c. 115. & SCHILTERI Commentar. in haec capit. § in cap. 148.*
- 2) in *Vita Friderici Bellicofi pag. 745 num. 135.* alia exempla cenſuum egregiorum in feudum collatorum vid. ap. LVNIG in *Corp. I. F. G. T. I. pag. 1098 & 1630 n. 2.*
- 3) *vid. etiam LVNIG. c. l. Tom. III. p. 38. § 39. n. 18. § 19. & T. II. p. 756, n. 9.*

S. VI.

Ad feuda haec censuum referimus quoque *die Nürnbergische Küchel Lehn*, quorum mentionem habet *Ordinat. Imp. Aulic. Ferdin. III. de a. 1654. t. 3. S. XI.* Nam & in iis Vasalli, feudis illis inuestiti, habent ius exigendi ex praediis certis annuum censum, in variis rebus ad victum pertinentibus consistentem. Et praedia illa, ex quibus nunc Vasallis illae praestations annuae, loco emolumenti feudalis, obueniunt, videntur olim ad domania Regum Germaniae pertinuisse, fundique domaniales fuisse, quorum possessores ea tempestate ad Castrum Imperiale Norimbergense 1) illas res pro sustentatione Regum Germaniae, ibi subinde commorantium, adferre tenebantur. Verum secutis temporibus, postquam illae commigrationes per Imperium cessarunt, illae praestations non amplius exactae sunt, sed ius potius eas percipiendi aliis in feudum concessum est. Equidem sunt qui haec feuda Norimbergensia ad feuda de Camera & de Caneva referunt, sed horum insoles & natura illis plane non conuenit. 2).

- 1) Reges Germaniae plura habebant in Imperio palatia & castra, & inter haec Norimbergense olim celebre fuit, ac *multum solenne* adpellatur, v. *Abasii FRITSCH. de Palatiis & Domibus Dominici c. 5. n. 27. Waldströmer Orat. de Curiis Norimbergae ante A. B. celebratis.*
- 2) refutauit iam horum sententiam Auctor Anonymus insertus a *Lunigio Corp. I. F. Germ. T. I. p. 135t.*

S. VII.

Euoluentes vero litteras Clientelares & formulas feudales, reperimus duplici in primis modo ius hoc percipiendi census in feudum datum esse, aut enim singularim, ita vt feudum vnice in illis constiterit, aut accessorie & coniunctim cum aliis rebus & iuribus. Sic enim feudo Iurisdictionis quandoque, vt vtilitas eo insignior esset, additi sunt census quidam. Sic saepe quoque in feudo Aduocatae Salarium Aduocati in censibus adsignatum fuit. Et perpauca erunt feuda alicuius momenti, quibus non cohaereant census siue ius census quosdam exigendi. Mentio eorum passim fit expressis verbis in Inuestiturarum litteris, saepe quoque in illis partim *pertinentiarum* nomine veniunt *der Zugehörungen* 1), partim etiam *honorum* adpellatione indicantur. Sic in Diplomate apud Ludewigium occurrit formula:

cum omnibus exactionibus pecunialibus censibus, redditibus - - HONORIBVS, videlicet scapulis & pullis 2)

Confirmat hoc quoque clausula generalis, quae vulgo in Emptionibus Venditionibus feudorum adhibetur, & quae inter res & iura in Emptorem transferenda, memorat etiam *die Zinsen und Gülden*. Sed nostra quidem cura circa prioris generis census potissimum occupata erit, quippe acturi de Censuum concessione feudali, quatenus peculiarem feudorum speciem constituit.

1) exempla vid. ap. HORN *cit. l. pag. 702. n. 90.* & ap. Ludewig, in *Reliqu. Diplom. T. IV. p. 242.* ibi: *cum omnibus vtilitatibus ad praedium pertinentibus - id est cum*

cum insulis - - exitibus & redditibus. Et in pertinentiis des Marschall-Amtes des Stifts Quedlinburg plures habentur & recensentur Censūs apud LÜNIG. Tom. I. p. 2055. n. 14. add. Ill. BVDER *Amoen.* I. Feud. Obseru. X. p. 68. n. 12.

- 2) *in Reliqu.* Diplom. T. VI. p. 392. 408. & 428. add. CONRADI *diff. de formula inuestit. cum omni bonore.*

§. VIII.

Est autem, vt inde tractationem nostram ordiamur, feudum Censuum verum feudum. Cumque ad verum feudum requiratur, vt Vasallo ius cum certa restrictione & sub lege fidelitatis concessum sit, (§. I.) necesse est, vt haec requisita etiam feudo huic inesse ostendamus. Et fidelitatis quidem praestationem testantur litterae feudales, in quibus Vasallus ad fidem vasalliticam adstringitur, & in quibus promittit:

dass er davon getreu-seyn, des Lehnherrn Frommenfürdern, und schaden warnen, auch sonst thun soll, was ein Lehnmann seinen Lehnherrn von leben billich und Rechtswegen schuldig und pflichtig ist. cet. 1).

Ius vero Vasalli restrictum inde, credimus, optime cognosci poterit, si quae ipse ille in re feudali habet iura, & quae vicissim Dominus sibi reseruauit, indicauerimus. Et Vasalli quidem ius in hoc feudo potissimum se exerit in facultate census annuos percipiendi, & actiones, quae pro illis exigendis competunt, exercendi. Dominus vero habet ius impediendi ne census exigendi facultas a Vasallo sine suo consensu alienetur, porro residet in illo ius exigendi fidem & seruitia & inuestiturae

rae renouationem, & tandem ius census recipiendi, feudo vel ob defectum successorum vel ob delictum finito. Equidem non ignoramus vulgo ab aliis ad verum feudum, & ad eius essentiam, praeter fidelitatis praestationem, requiri dominium diuisum 2), & sic nobis demonstrare necessum esset, directum ex vna parte, & vtile dominium ex altera parte in hoc feudo adesse: haud equidem difficile hoc esse iudicamus, 3) verum maluimus hoc loco TITII doctrinam sequi, qui illud dominium semper adesse posse & debere negat, 4) cum feudorum obiecta esse possint, quae vel plane non, vel saltim valde improprie, in dominio esse dixeris.

- 1) hanc formulam vid in literis Inuestiturae super censibus scriptis passim & in specie ap. LVNIG. in Corp. I. F. G. Tom. 1. p. 1630. n. 2.
- 2) V. REGNER ENGELHARD in Specim. I. Feud. Naturalis §. 40. & Interpretes Iuris Feud. passim.
- 3) vid. Horn. Iurisprud. Feudal. cap. VII. §. I.
- 4) in Iure Prir L. XI. c. I. §. 3. & cap. 8. §. 1. & in Iure Feud. Germ. c. 4. §. 10. 11. cap. 14. §. 3. add. STRVV, S. 1. F. c. XI. §. 1. 2. BVRI cit. l. pag. 453.

§. IX.

Feudorum summam diuisionem esse nouimus in propria & impropria, prout nempe illa communem feudorum naturam seruant, vel ab illa abeunt, & in vno vel altero peculiarem adfectionem adsumunt. Hanc diuisionem ad feuda Censuum quoque transferre non veremur. Nam si monumenta Clientelaria consulimus, inuenimus feuda Censuum, quae per omnia *propria* sunt

sunt, inuenimus quoque *impropria*, & a communi feudorum natura abhorrentia. Cumque iuris certi sit, pro naturalibus feudi, indeque dependente proprietate tamdiu praesumendum esse, donec improprietas per pactum inducta probetur: consequum est statuere, feuda Censuum quoque regulariter pro propriis haberi, & proinde nihil singularis iuris tribui iis debere, nisi hoc ex Inuestiturae litteris probari possit. In sequentibus igitur primo loco de propriis feudis Censuum, eorumque qualitatibus dicemus, impropriorum considerationem ultimo loco referuaturi.

§. X.

Equidem dubium praeuidemus, quod nobis ab aliquibus moueri possit, eo quod (in §. anteced.) haec feuda in propriis regulariter numerari debere adferuimus. Dicent illi: ad id ut feudum pro proprio haberi debeat, requiri ut illud in re immobili consistat, hoc requisitum vero deesse in hoc feudo, quippe quod (vi §. V.) in iure consistat. Verum his respondemus, quod licet naturaliter ius Censuum exigendi res incorporalis sit, & proinde, si diuisionem rerum in mobiles & immobiles pro subdiuisione rerum corporalium accipias, neque mobilis res sit neque immobilis: tamen quia ciuilitate & adprobata a iure sententia, census & annui redditus immobilibus accensentur, & ipsum ius census exigendi, in immobilibus numerari debet. 1) Latius enim quandoque diuisionem rerum in mobiles & immobiles usurpant, & pro diuisione rerum in genere, non vero duntaxat pro subdiuisione rerum corpora-

poralium adhibent. Accedit & hoc quod secundum multorum sententiam inter feudorum naturalia perpetuam referatur, feudum in re immobili consistere debere 2), quippe feudorum proprietates non tam ex re in feudum data, quam potius ex conditionibus concessionis feudali adiectis aestimari debere videtur. Hae solae proprietates vel adstruunt vel destruant. Nam cum Naturalia feudorum eae vocentur determinationes, quae feudis regulariter ex legis dispositione inesse praesumuntur, patet non rem in feudum concessam, sed determinationes & conditiones concessionis improprietas feudo conciliare. Quod si enim hae ordinariis, quae ex legis dispositione insunt, conueniunt, proprium feudum faciunt; sin illas ordinarias mutant, improprium. Quid vero res ipsa in feudum collata ad improprietas conferre potest? quamcunque enim rem in feudum datamingas, ubique eadem feudorum determinationes ordinariae manere possunt, & feudum e. g. masculos duntaxat sequetur heredes, seruitiis obnoxium erit, & quae sunt alia naturalia.

- 1) vid. *Clementin. Exiui §. cumque annui de Verb. signif. & II. F. I. §. sciendum add. ad hoc capitul. BITSCHIVM p. 218. ROSENTHAL. de feudis c. 4. c. 5. n. 1. Hartmann PISTOR I quaest. 26. n. 8. STRVV. S.I. F cap. 6 §. 1.*
- 2) inprimis secundum mores & consuetudines germanorum, qui propria feuda in rebus omnibus etiam mobilibus constituerunt. Argumento esse potest feudum in pecunia & tot aliae aliarum rerum concessionibus feudales. Conf. *FRANCKENSTEIN Diss. de feudo in pecun. constit. §. 7. Dn. ESTOR kleine Schriff-
ten*

ten P. XI. n. 4. Illustr. Dn. de SENCKENBERG in prim.
lin. 1. F. c. 9. §. 198. &c.

§. XI.

Communes feudi proprii adfectiones, seposito eo quod in re immobili, vel quae immobilibus accensetur, constitui debeat, (§. X.) sunt transmissio feudi ad heredes masculos & a primo acquirente descendentes, iurato praestita fidelitas, alienatio non libera sed ad Domini, & respectu Adgnatorum consensum adstricta, seruitiorum praestatio, & denique obligatio ad petendam Inuestiturae renouationem 1). Cumque nos feuda Censuum propria regulariter esse diximus, (§. IX.) consequens est, has qualitates omnes in feuda Censuum conuenire debere. Et sane conueniunt. Adest enim perpetuitas, ita vt sine causa a Domino auferri nequeant, sed heredibus habilibus relinquuntur, inde in Inuestiturae litteris Vasallo conceduntur *für sich und seine ehelich geborne Leibes-Lehnserven*. Ad masculos quoque ordinariae haec feuda transire, docent nos exempla talium feudorum. Sic apud LVNIG Mauritius Landgrauus Hassiae confert in beneficium dem freyen von Dern zu *rechten Mannlehn V. Sake Hafern* cet. porro apud Dn. ESTOR 3) varii census conferuntur fratribus von Döringberg, & der Schencken zu Schweinsberg *vor sich und ihre Mann-Leibs-Lehn Erben zu rechtem Mannlehn* cet.

Fidelitatem iuratam testantur quoque litterae feudales, dum iuramenti a Vasallo Domino praestiti mentionem faciunt,

C

faciunt,

faciunt. Et alienationem non liberam loquuntur Documenta, quae consensum Domini super alienatione impetratum continent. Tale occurrit apud LVNIG 4) vbi Praeposita in Gernrode in talium Censuum venditionem consentit. Seruitiorum quoque praestationem, ceteraque officia feudalia, eiusmodi Vafallos obire teneri, nemo dubitabit, qui inuestiturae litteras perlegit, in quibus promittunt

getreu hold und gewärtig zu seyn, und sonst alles zu thun und zu leisten, was getreue Lehleute ihren Herrn zu thun schuldigt sind, wann, wo und wie dick das noth seyn, und sich gebühren wird 5)

Denique de inuestiturae renouatione, expressa quoque in literis inuestiturae extant vestigia.

1) vid. STRVV. Elem. I. F. §. 8.

2) in Corp. I. F. G. Tom. III. p. 690.

3) in den kleinen Schriften P. IX. p. 354.

4) loc. cit. Tom. I. p. 2063. mentio quoque talis feudi cum Consensu Domini alienati fit ap. LVDEWIG, ad A. B. Tom. II. p. 1062 voc. Euchner.

5) vid. formulam apud Dn. ESTOR loc. cit. p. 354.

§ XII.

Celebris etiam feudorum diuisio est in *data & oblata*. Hanc quoque, si feudis Censuum adplicamus, erraturos nos haud esse confidimus. Multa enim sunt, quae illa ex parte ex oblatione orta esse persuadent. Conueniunt causae, quibus oblatio vulgo tribuitur. Eaedem enim rationes, quae homines aliquando impulerunt, vt res suas immobiles! & fundos donarent aliis, rursusque ab his in feudum reciperent, reddituum quoque & censuum oblationes effecerunt. Nimirum

mirum metus rerum & iurium penitus amittendorum, pietas & deuotio nimia erga Ecclesias, pecuniae penuria, aliaeque, quas recenset HERTIVS 1), causae. Et nequid dubii superfit, aliqua expressissima in hanc rem documenta allegare iuuabit. Vnum exemplum censuum oblatorum praebet inuestitura apud Dn. ESTOR 2), ex qua constat fratres von Doringberg, & der Schencken von Schweinsberg, *vt impetrarent a Landgrauio Hassiae consensum in alienationem praedii feudalis*, illi census aliquos ex propriis bonis suis obtulisse & resignasse, eosque vicissim titulo feudi masculini possidendos recepisse. Alterum exemplum suppeditat LÜNIG 3) ex quo cognoscimus Henricum Comitem de Waldek a. 1320. *ob reuerentiam & promotionem, quas sperabat*, Henrico, Abbati Ecclesiae Fuldenensis redditus ducentorum modiorum annonae de mansis 4) suis propriis resignasse, eosque rursum ab Abbate & Ecclesia, iure & titulo feudi, pro se suisque heredibus recepisse.

- 1) in eleganti diss. *de Feudis Oblatis*, quae inserta est Opusculor. T. II.
- 2) cit. loc. P. IX. p. 354. aliud praeterea exemplum oblatorum maldrorum siliginis extat apud *Schannat*. in Client. Fuld. n. 58.
- 3) in Corp. I. F. G. Tom. I p. 1826, n. 17.
- 4) *Mansus* quid sit & denotet? v. *Thomas Cragii* Ius Feud. L. I. tit. 12. §. 13. fin.

§. XIII.

Est quoque alia famosa feudorum in *Mediata* & *Immediata* diuisio, quorum haec dicuntur, de quibus Vassalli ab Imperatore & Imperio inuestiuntur; illa vero de quibus a Statu Imperii inuestituram accipiunt. Et

haec quoque diuisio in haec feuda censuum cadit. Inuenimus enim eorum aliquot, quae immediate ab Imperatore conferuntur, inuenimus quoque quae a statibus Imperii recognoscuntur. De his nemo dubitabit, de illis vero maior dubitatio esse posset, proin aliquot eorum exempla commemorabimus. Pertinent huc litterae feudales apud LÜNIG 1) quibus a. 1464. Imperator Frid. III. Joannem de Flersheib Nobilem immediatum inuestiuit *von Röm. Kayserl. Macht mit 30. Malzer Korn-gülte, V. Obme Hübnischen Wejn gült cet. auch einen Zebenden mit seiner Zugehör cet.* qui vicissim promisit *dem Kayser und dem Reich davon getreu, untertänig, gehorsam und gewärtig zuseyn, und zu thun als sich dan von solch Lehn wegen gebühret.* De pluribus aliis in hanc rem inuestituris fidem faciunt LVDEWIG 2) & Dn. MOSER 3) in Catalogo, quem exhibent, Alphabetico omnium tam Nobilium quam Ciuiliu Imperii feudorum. In reliquis feudorum diuisionibus, huic feudo Censuum applicandis, haerere diutius praeter rem esse existimamus, cum nullum dubium sit, illas diuisiones in haec feuda quoque suo modo cadere posse, & sic vel Ecclesiastica vel Secularia, vel antiqua vel noua, vel masculina vel feminina, & quae sunt reliqua, esse posse.

1) in Corp. I. F. G. Tom. I. p. 1294.

2) in Comment. ad A. B. P. II. p. 1051. sqq. sub voc. *Beserer, Ebner, Eyb, Gugl, Hofman, Lentzi* cet.

3) in der Einleitung zum Reichsbofrath-Proces P. III. pag. 667.

§. XIV.

Personam concedentem quod adinet, cum alias &
in

in genere pro regula fit, eos feudum concedere posse, qui liberam rerum suarum administrationem habent, earumque vtilitates valide alienare possunt: ita & hic obseruandum est, omnem illum feuda Censuum conferre posse, qui ius census percipiendi habet, illudque in alium transferre legitime valet. Hinc ea plerumque quidem a Principibus, Comitibus, Dynastis qui multos census possident, eosque ab hominibus suis propriis, vel aliis, exigendi ius habent, collata reperimus. Sed dubitationem quoque nullam habere videtur, nobiles quoque aliosque priuatae fortis homines, si e. g. census referuatiuos vel constitutiuos irredimibiles habeant, ea concedere posse, licet ab his rarius haec feuda proficisci haud negemus. Facile quoque intellectu est in feudis his Censuum Ecclesiasticis, si nempe census ecclesiastici de nouo aliis in feudum conceduntur, Praelatos investientes consensu Capituli opus habere. Huc pertinent litterae feudales, quas produxit Illustr. Dn. de SENCKENBERG 1) quibus Ioannes Archi-Episcopus Moguntinus Henrico Gensfleisch

mit Wissen, Willen und Verhengknus der erbaren unserer lieben andechtigen Eberhard Dechants und des Capituls gemeiniglichens unseres Stiffes zum Dbum zu Mentz
census aliquos in beneficium concessit.

1) in prim. lin. Adjunct. 25. § 27.

§. XV.

Quod adinet ad personas, quae haec feuda accipere possunt, discernenda est originaria feudi adquisitio, a successione in feudo. Quoad illam in his etiam feudis

C 3

nihil

nihil singularis iuris obtinet, sed regula communis & in his valet, omnes nempe, qui habiles sunt & non prohibentur, ea acquirere posse. Imo licet quaedam personae in genere a feudorum acquisitione arceantur, ut sunt feminae & imperfecti vel animo vel corpore, tamen Domino integrum est, his etiam feuda conferre, & si hoc sciens & volens fecerit, gratiam videtur his personis incapacibus fecisse, ut per substitutum seruire queant 1). Sic sine dubio quoque personae mysticae & in specie Monasteria, quatenus acquisitionis capacia sunt, talia feuda possidere possunt. Quoad hanc, nempe successionem in his feudis, ad conditionem feudorum & qualitatem respici debet, & cum multa ex illis, quod inferius monstrabimus, impropria sint, ratione seruitiorum & successionis, hoc minus dubii est, quin in talibus feminae cet. succedere possint. Regulariter quoque Clericis in successione locum dandum esse, ambigi haud potest. Sunt tamen exempla talium feudorum, in quibus secularibus personis prae ecclesiasticis praerogatiua datur, haecque ab illis in successione vi Inestiturae excluduntur. Huc pertinent litterae clientelares apud LVDEWIG 3), quibus Dnis de Franckenstein census aliique res conferuntur

vor sich, und ihre Weltliche Mannlebens-Erben so lang deren seyn, und nach derselben Abgang vor ihre Weltliche Toechter und dero Erben, und wo sie ohne eheliche Weltliche Leibes-Erben - todes abgehen würden alsdann und nicht ebe andere ihre erben.

1) vid. Ill. MASCOV. de iure feudorum c. 4. §. 9. 10. & fuchs STRVY, in Elem. I. Feud. §. 69. §. 79. & exemplum feud.

feudi Censuum in feminam collati apud LVNIC. c. l.
Tom. I. p. 1438.

- 2) vid. HORN. *Jurispr. Feud. c. V. §. 29.*
3) in *Comment. ad A. B. Tom. II. p. 1068.*

§. XVI.

Transimus nunc ad effectus huius feudi ratione Vasalli inprimis. (conf. §. VIII.) Equidem si vim & effectus eius rite quis indicare velit, ante omnia ad Inuestiturae litteras respicere, indeque potestatem Vasalli metiri debet. Plerumque tamen experientia teste, haec feuda fere absoluuntur iure Censuum, & quandoque laudemium, a Censitis exigendi. Et laudemii quidem exigendi ratio generalis est, ut Vasallus Censitor cognoscere possit, quis censum debeat, & a quo eum imposterum petere queat, hinc ne in perceptione census laedatur, Censita nomen suum apud eum profiteri & pro inscriptione aliquid solvere teneretur. Specialior ratio in bonis censiticis quibusdam, in quibus inuestitura aliqua interuenit, est, ut Vasallus tanquam Dominus Censuum utilis, pro opera inuestiturae aliquid habeat. Intelligitur quoque inde laudemium (germanice *Handlobn, Weglobung* 1) exigi solum posse, quando Censita mutatur, non vero quando quoad Vasallum Censitorem mutatio contingit. Quantitas eius vero pro locorum consuetudinibus variat, unde ante omnia mos regionis inspiciendus est. Hic Erfordiae Vasalli, qui feuda census possident, a nouis censitis, qui praedium censiticum titulo singulari nacti sunt, loco laudemii regulariter exigunt quinque grossos ab unoquoque *Item*, uti illud adpellare mos est; & loco laudemii minoris, vulgo *des Schreib-Schillinges* oder *Ab und Zuschreibgebühren*,

gebühren, duos grossos, quod posterius successores omnes tam vniuersales quam singulares soluere tenentur. Aliquando etiam in litteris Inuestiturae quantitas expressa est, quam Vasallus laudemii loco exigere possit. Sic haec formula occurrit:

der Hoff - - davon iährlich gült geben 30. Schilling, 30, Käse - - und ist zu der Weglossin um XII. Gulden geseffen. It. giebt XIV. Schilling zur Weglossin 2)

Plura de laudemio hic adferre institutum nostrum haud finit, qui talia desiderat, adeat Auctores qui de iure census percipiendi Allodiali, & de Laudemio in specie tractarunt.

1) vid. BESOLD *Tbesaurus Pract. voce Handlobn.*

2) aliquoties laudemii quantitas in singulis Censitis hoc modo expressa conspicitur in Inuestiturae litteris apud LÜNIG in C. I. F. G. Tom. I. p. 1098. n. 59. § p. 1630. n. 2.

§. XVII.

Ceterum cum feudum hoc verum feudum sit (§. VIII.) nullum dubium est, quin is qui id adquisiuit, iisdem, quibus alii Vasalli, fruatur iuribus, inter quae etiam est, quod inter Pares Curiae numeretur, & iudicio feudali recte adstare possit. Memorandum tamen hic erit, ius Feud. Alleman. 1) distinguere inter haec feuda, & eum tantum Vasallum iure paragii & testimonii ferendi gaudere sinere, cuius annuae praestationes saltem libram nummorum prouincialium, id est zwey Gulden, exaequant. Nimirum haec feuda Censuum annuorumque reddituum saepe in minimis praestationibus consistebant, inde hoc discrimen inter hos Vasallos factum est. Verum haec hodie vix vsum habebunt.

1) cap. 24. conf. SCHILTERI *Comment. ad hoc cap.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Restaret vt de officiis Domini & Vasalli, deque mutua inter illos obligatione 1), de transmissione, & de fine 2) & amissione horum feudorum diceremus, sed cum hic eadem, quae in aliis feudis obtinent, dicenda sint: nolimus, quae a multis aliis in systematicis Tractatibus copiose exposita sunt, hic denuo repetere. Circa traditionem huius feudi symbolicam hoc tantum monerimus, probabile videri illam per *denarios* eorumque oblationem & traditionem nonnunquam factam esse. Nimirum constat inter omnes, Germanos olim rari inuestituras simpliciter, & chartis nudis expediuisse, sed plerumque in iis solemnitates quasdam & symbola, quibus rerum & iurium in alios translationes realiter significabant, interuenisse. 3) Constat quoque symbolorum loco talia ut plurimum signa adhibita fuisse, quae ad finitatem cum re tradenda habuerunt. Credibile itaque est, in his feudis eos *denariis* vsos esse, quippe signo ad significationem concessi iuris census exigendi maxime idoneo, cum censibus vulgo etiam pecuniae & denariorum praestationes admixtae sint. Confirmamur in hac opinione, per chartam Donationis Censuum quam allegat Du Fresne 4), ex qua census per oblationem denariorum translatos esse, elucet,

1) requisita & summam fidelitatis feudalis vid. in *cap. II. F. §. conf. VITSC. ad hunc text. pag. 144. & STR. VV. Elem. Iuris Feud. §. 26. (b)*

2) inter modos communes, quibus feudum desinit, est quoque *appropriatio* feudi, quando nimirum Vasallo Dominus proprietatem cedit, & permittit, vt hic imposterum allodiali iure rem possidere possit. Hoc modo aliquoties feuda Censuum superioribus secu-

lis finita esse animaduertimus, inprimis quando census feudales ad Monasteria peruenerunt, quibus plerumque Dominus pro religione illorum temporum, remisso nexu feudali, proprietatis titulo reliquit. vid exempla apud Horn in Vita Frid. Bellic. p. 657. n. 17 & n. 127. 129. 136.

3) vid OTTONIS Exerc. de Iurisprud. symbolica.

4) In Glossario Tom. II. v. *inuestitura per denarios*. Verba sunt: Quod donum eiusdem Censu continuo, dum matutinalis missa cantaretur, posuit super altare dominicum per Octo denarios, in praesentia multorum.

§. XIX.

Haecenus de feudis Censuum propriis actum est, restat igitur, ut (vi §. IX.) etiam exponamus *improprietas*, quas in his feudis subinde animaduertimus. Nimirum, quod omnibus feudorum speciebus accidit, ut eorum natura per pacta inuestiturae adiecta mutari, atque illis hoc ipso improprietas induci possit; idem & his feudis usu venisse ex litteris clientelariis perspicimus. Inuenimus enim illa mox hereditariam induisse formam, mox liberata a seruitiis franca euasisse, mox feminini & alienabilis naturam accepisse. Plerumque tamen omnes has improprietas feudis censuum minoribus inesse deprehendimus, ut fere vilitatem eorum ansam illis dedisse, videatur. In sequentibus itaque §§. aliquas & potiores improprietas enumerabimus, & exemplis illustrabimus.

§. XX.

Per multa dari feuda Censuum *franca*, ex quibus nulla praestantur seruitia, testantur monumenta Clientelaria. Luculentum exemplum extat apud LUNIG I)
vbi

vbi Comes Holfatiae fratribus *de Stendel* ciuibus Ham-
 burgenfibus, eorumque pueris filiis & filiabus, pheodali
 iure percipiendos confert census aliquos, & fimul illis
*perpetuam facit libertatem ab armorum feruitiis, quae here-
 vart dicuntur, & ab omni expeditione, & simpliciter vt nihil
 excludatur a cunctis feruitiis, quae de bonis pheodalibus nunc
 & imposterum fieri solent cet.*

Talem quoque naturam habent feuda omnia Censuum,
 quae ciuibus Erfordienfibus a Comitibus Hatzfeldenfi-
 bus conferuntur, vi pacti, a. 1533. inter Comites de
 Gleichen (a quibus extinctis dominium directum ad
 Comites Hatzfeldenses peruenit) & Senatum Erfurten-
 fem initi, in quo ciuibus feruitia omnia in perpetuum
 fuerunt remiffa 2). Pertinent quoque huc ex parte
 feuda Censuum, quae a Domo Schwartzburgica confe-
 runtur, quae itidem honorata & a feruitiis immunia
 funt.

1) in Corp. I. F. G. Tom. II. p. 1791.

2) v. Concordata und Veriraege zwischen den Grauen zu
 Gleichen und der Stadt Erfurt aufgericht. num. 1V.

§. XXI

Hereditariam quoque formam multa feuda Cen-
 suum acceperunt, & tam quoad fucceffionem, quam
 difponendi facultatem, allodialem qualitatem naeta funt.
 Exempli loco esse potest inueftitura, quam in §. *anted.*
 ex LVNIGIO adduximus, in qua Comes Holfatiae Vafal-
 lis ibi memoratis, eorumque filiis & filiabus
*plenam & liberam facit potestatem vendendi, obligandi, do-
 nandi in parte vel in toto cet.*

Iterum quoque in huius qualitatis probationem aduo-
 care possumus feuda Censuum Glichenfia, quae a Ciuibus



Erfordiensibus tenentur, quippe quae, vi pactorum, mere hereditaria facta sunt 1). Non tamen Vasallis licet Censum hos feudales ex parte alienare, sed totum feudum & integrum, huc pertinent verba Inuestiturae: *ohne unsern Consens davon nicht zu alieniren und zu verwenden* cet. quae verba non alienationem feudi, sed dismembrationem, ut ita loquar, & dissipationem partialem respiciunt. Plura in hanc rem exempla peti possunt ex indice feudorum Imperii aliquoties iam allegato 2).

- 1) vid. *Concordata §. antec. allegata num. II § de a. 1370. num VI.* in quibus iam haec libertas indulta est,
2) ap. LVDEWIG ad A. B. Tom. II. p. 1051.

§. XXI.

Dantur porro feuda Censum iniurata, in quibus Vasalli fides iurato non adstringitur, sed ab eo stipulata manu solum exigitur. Huius generis sunt feuda omnia (inter quae & Censuum feuda esse constat 1) quae olim Senatus Erfurtensis a Comitibus de Gleichen sub formula feudi tenuit 2). In feudis vero Censuum, quae a civibus Erfurtensibus tenentur, conuentum fuit, ut liberum esse debeat Domino, inque eius arbitrio positum, utrum Vasallum iurare, an ab eo solum stipulata manu fidem recipere malit. Et usu quoque aliquoties seruatum esse didici, ut civibus, praesertim honoratoribus iusiurandum remissum fuerit, verum hodie rarius iuramenti gratiam facit Curia hatzfeldensis.

- 1) vid. LVNIG. in *Corp. I. F. G. Tom. III. p. 33 num. 18. § Recessum Lipsiensem de a. 1665. Art. XI. in medio § Adiunct. Docum. sub lit. E.*
2) vid. *Concordatorum de a. 1533, num. V.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Tandem reperimus quoque feuda Censuum ad dies vitae Vasallis solum concessa, qualis formula feudalis occurrit apud Illustr. *Dn. de SENCKENBERG I*), in qua Ioannes Archi-Episcopus Moguntinus, Henrico Gensfleisch & duobus filiis eius in feudum confert

yr dreyer lebrag aus, etliche Zinsen, Gülden und Gefälle von etlichen Zins-gaden und Zinshäusern in der Stadt Mayntz. - und wenn die dry Personen nit enfrin, so soll solliche Gülte und Zins wieder an das Stifft und des Erzbischoffs Nachkommen fallen.

1) in *Adiunct.* sub num. 25. & 27. in primis *lincis Iuris Feud.*

§. XXIV.

Sed satis de his. Restare nunc videtur, vt feuda haec Censuum, de quibus hactenus egimus, ab aliis feudorum speciebus illis adfinibus discernamus. Consistere illa feuda supra (§. V.) diximus in iure percipiendi annuos census, quibus si addas, quae de eius natura & indole dicta sunt, facili negotio differentiae, quae illud ab aliis seiungunt, constitui poterunt. Atque primo quidem differt illud a *feudo Censuali*, quocum illi non tam rei, quam verborum cognatio intercedit. Est enim feudum censuale improprium, in quo loco seruitiorum census praestatur annuus. Fluunt inde & produnt sese aliquae insignes differentiae. Nam feudum Censuale ratione seruitiorum improprium est; feudum censuum regulariter proprium est (§. XI.); illud in re immobili, in fundo consistit; hoc in iure (§. V.) vnde in illo Vasallus dominium vtile ipsius rei & fundi habet;

D 3

in

in hoc non nisi facultatem annuos census quotannis exigendi; in illo seruitia nunquam praestantur, in hoc regulariter praestantur; in illo Vasallus censum annum Domino dare tenetur; in hoc Dominus Vasallo censum praestat & assignat. Denique feuda Censualia, obseruante *Illustr. BVDERO* 1) inter extantiora & Nobiliora saepe referri debent, cum contra feuda Censuum ad ignobiliora pertinere videntur.

1) in *Amoenit. Iur. Feud. obseru. XII. ubi hoc clarissimis illustrium feudorum censualem in Europa exemplis comprobatum iuit.*

§. XXV.

Porro non sunt confundenda haec feuda cum praediis censiticis, quae Germani etiam vocant *Zinsleben*, eo quod in illis saepe inuestitura aliqua interuenit. 1) Nam in his bonis feudum plane non adest, sed Germani, feudalibus lusibus mirum in modum indulgentes, & hic in Allodiis inuestituram adhibuerunt. Praedia enim talia sunt mere allodialia, non feudalia, cum fides specialis Vasallitica deficiat. Deinde etiam hoc nomine *der Zins Leben* veniunt ipsa praedia, cum contra in feudo Censu, de quibus nobis hic sermo est, *ius* in feudo^{nocturni} sit. Verum differentia nimis manifesta est, quam vt longius eam & fufius euoluere necesse sit.

1) vid. *HEINEC. Elem. Iur. Germ. Tom. I, Lib. II. §. 34.44.*

§. XXVI.

Pergimus potius ad feuda *de Camera* & *de Cancua*, quae sunt feuda impropria, & personalia in certis redditibus & fructibus, ex Aerario vel Cellario Domini quotannis praestandis constituta. Conueniunt haec in eo quidem quod in redditibus & fructibus annuis consistant,
non

non vna tamen sed plures differentiae intercedunt. Ad feudum enim de Camera & de Caneua requiritur, vt illi reditus & fructus praecise ex Camera Principis & Fifco, aus der Renth Kammer, atque ex Cellario Domini, aus dem Keller praestentur 1); in feudo Censuum vero longe aliter se habet, & plane non requiritur hoc, vt potius ex adsignatis praediis census percipiantur. Illa feuda porro personalia sunt, & saepe finito officio & administratione expirant 2), haec sunt regulariter perpetua, realia & ad heredes transeuntia. Et idem quoque valet de feudo *Soldatae* 3), quod itidem personale est & improprium.

1) vid. ROESCHII *diff. de feudis de Camera & de Caneua* §. 13. extat in III. IENICHEN *Tbesauro Iur. Feud. Tom. II.*

2) II. F. 31. *conf. STRVV. Synt. I. Feud. c. 4. §. 18.*

3) II. F. 10. *conf. STRVV. cit. l.*

§. XXVII.

Maiori cura feudum nostrum discernendum erit a feudo *annuae praestationis*. Non negabo equidem sub feudis annuae praestationis, si haec in sensu latiori accipias, feudum Censuum quoque contineri posse, in quo sensu ipsi aliquoties in hac tractatione illa feuda in annuis praestationibus consistere diximus. Quod si tamen specialius & in sensu strictiori illa capias, differentiae vtique adparebunt. Nimirum sumitur aliquando feudum annuae praestationis, pro feudo de Camera & de Caneua 1), & tunc, credimus, differentiae ratio in aprico erit (§. XXVI.). sed interdum quoque illi hic tribuitur significatus, vt sit pro pecuniae summa in feudo pro seruitiis, in primis castrensibus concessa, vnde reditus singulis annis a Domino Vasallo praestantur, in

in quo significato itemdem occurrit in chartis & formulis feudalibus medii aevi, ubi saepe *Manngeld*, *Lehn-geld*, vel si pecuniae summa iuxta libras determinata est *Pfundlehn* 2) vocatur. Verum in hoc quoque significato differentiae supersunt. Nam consistit illud in expressa pecuniae summa, & licet aliquando redituum loco ex illa pecunia, qui usurarum rationem habebant, Vasallo a Domino Census quidam adsignati fuerint 3), non tamen census illi adsignati, sed potius illa pecuniae summa obiectum feudi constituerebat: contra feudum censuum non in pecunia consistit, & in vna pecuniae summa, sed in variis minoribus rerum omnis generis praestationibus (§.III.). Deinde illud feudum seruitutia semper supponit; hoc nostrum vero francum etiam esse potest (§. XX.) Tandem in feudo annuae praestationis annui illi reditus redimibiles plerumque erant, & si redimebantur, pro hac pecuniae summa Vasallus vel nouum praedium comparare, illudque a Domino qui pecuniam dederat, feudi iure tenere, aut Domino tantundem de Allodio suo in feudum offerre tenebatur 4), quod fecus est plane in feudo Censuum.

- 1) in hoc sensu in *Iure Feud. Longob.* occurrit vid. *II. F. 20.* add. BITSCHIVS *ad alleg. cap. p. 329 iunct. II. F. 10.*
- 2) vid. SCHILTER. *ad Ius F. Alem. c. 14. §. 4. 5.* & DN. BRAVN. *von den mancherley Artendes Gülte-Lehns*, quae meditationes insertae sunt *thesauro Iur. Feud. Ienicheniano T. II. p. 791.* exempla horum feudorum plurima adduxit Waldschmid *in diss. de feudis Castrensibus §. 4. sqq.*
- 3) exemplum luculentum habet *Illustr. Dn. de SENCKENBERG in prim. lin. Iur. Feud. Adiunct. sub num. 10.*

4) Sci-

- 4) Scilicet solemne ea tempestate erat Principibus & Comitibus, qui nobilem aliquem Vasallum suum, & inprimis castrensem facere cupiebant, nec tamen bona statim immobilia, quae pro ratione illorum temporum stipendii loco dare possent, habebant, ut tandiu illi certos redditus adsignarent, usque dum eos redimere possent, & Vasallus pro accepta propter redemptionem pecunia rem immobilem & fundum feudalem comparare posset, vid. *Kopp de insigni differ. inter S. R. I. Comites &c. pag. mibi 288. in Obseru. ad n. 4. s. alias huius generis chartas vid. apud Illustr. Dn. de SENCKENBERG cit. l. n. 13. 17. 44. 39.*

§ XXVIII.

Hinc intelligi quoque potest, quomodo feuda Censuum differant a *feudo in pecunia*. Tres vulgo ab Interpretibus iuris feudalis, species feudi pecuniarii constituntur 1), sed maxima adfinitas intercedere nostro feudo videtur, cum illa specie feudi pecuniarii, quando pecunia feudalis tertio datur, a quo Vasallus redditus annuatim percipit. Sed & hic discriminis ratio constabit. In illo enim feudo pecuniario obiectum feudi est certa pecuniae summa tanquam fors adnumerata; & annui redditus inde Vasallo in pecunia & ab vna persona adsignata praestantur. Contra in feudo nostro non pecuniae summa aliqua, sed census & praestationes minores obiectum feudi sunt, & hi census non ab vna persona, sed ab sexcentis saepe exiguntur, nec in pecuniae solum, sed in aliis omnibus, rerum ad victum maxime pertinentium, praestationibus consistunt, ut taceam in feudo pecuniario secundum plerorumque doctorum sententiam requiri, ut constituens illud Majestate & superioritate Territoriali gaudeat,

E
quo

quo pecuniae allodialem naturam demere, illamque in feudum conuertere possit 2); id quod nemo in hoc feudo Censuum desiderabit, quippe Censuum ciuilitate iam pro rebus immobilibus habentur (§. X.)

1) vid. LYNCKER *de feudo pecun.* §. 24. & Interpretes passim.

2) vid. LYNCKER *cit. l.* §. 15, 16. STRVV. *Synt. Iur. Feud.* cap. 4. §. 3. confer tamen TITIVM *im Teutschen Lehnrecht* cap. 9. §. 24. HORNII *Iurisprud. Feud. c.* 4. §. 25. FRANCKENSTEIN *diff. de feudo in pecun. consil.* §. 15.

§. XXIX.

Sed ad finem poperandum nunc est. Coronidis loco tamen etiamnum inquirere necesse putamus, quid de Censibus ultimi anni, in casu si, extincto Vasalli iure, feudum ad Dominum redeat, vel ad Adgnatos deuoluatur, statuendum sit, & quousque illi ad heredes allodiales vasalli perueniant. Magna de fructibus ultimi anni in genere inter Dd. iuris feud. contentio est, quae in primis ex iurium, quibus utimur, diuersitate & ex variis, quibus Dd. de illorum praerogatiua & sensu etiam imbuti sunt, principiis ortum trahit. Alii enim ius Romanum in partes aduocare; alii iuris feud. Longob. tradita sequi, alii denique iuri Germ. eiusque principiis adhaerere malunt. Vicissim qui ius Rom. sectantur, iterum inter se dissident in eo, vtrum fructus ita uti inter maritum & uxorem soluto matrimonio 1), an vero ita uti finito usufructu inter fructuarii heredes & proprietarium 2) diuiduntur, dispertiri debeant, ut taceam alios distinguere feudum domino aperiatur, an vero ad Adgnatos deuoluatur. Nec minor est Inter-

pre-

pretum contentio de fructibus Ciuilibus. 3). Nolumus iam omnes illas diuersas sententias excutere, quod nimis longum & alienum a nostro instituto foret. 4). Inquirere nunc saltim & breuiter iuuabit, an quaestio de partitione censuum vltimi anni ex iure Longobardico definiri possit, vel quae alia regula hic sequenda sit.

- 1) per famosam legem 7. §. 1. π. solut. marr.
- 2) per l 58. π. de Vsfyr.
- 3) v. COCCHEVS de Iure Sem. Sect. V. §. 9. qui diuersas Dd. sententias recenset.
- 4) praeslit hoc iam pererudite idem COCCHEI, *diss. de Iure Sem. per tot.*

§. XXX.

Famosa iuris feud. Longob. de fructibus vltimi anni dispositio extat II. F. 28. §. *his consequenter* sed breuior est & obscurior, quam quidem oportebat. Sunt tamen Interpretes iuris feud. non incelebres, qui illi dispositioni in omnibus fructibus, etiam ciuilibus, & in specie Censibus locum faciunt, 1) huic inprimis innixi rationi, quod verba generalia sint, & de *omnibus* fructibus disponant. Verum qui textum recte expendit, hanc rationem vanam esse, nulloque niri fundamento fatebitur. Loquitur enim textus ille de fructibus naturalibus tantum. Clarum hoc inde est, quia de *omnibus fructibus ex feudo prouenientibus* feudista loquitur. Iam vero fructus *naturales* solum ex feudo, siue ex ipso rei in feudum datae corpore proueniunt, & his opponuntur *Ciuiles*, qui occasione rei solum percipiuntur. Quibus accedit, quod princeps argumentum est, rationem huius dispositionis feudalis, quae in cura & cultura posita est 2), plane non cadere & quadrare in fructus ciuiles, inprimis

mis ad Censuram 3) de quibus nunc loquimur. Quae enim in his cura a Vasallo adhibita dici potest? & cur praecise lapsus Martii aut Augusti in his spectandus est? Pater inde quaestionem ex iure feud. Longob. decidi non posse, nisi dispositionem illius textus cum quibusdam Iuris antiquioribus, qui huc adplicant *l. non omnium* 20, *7.* de LL. plane irrationabilem facere velimus.

- 1) vid. SCHRADER *de feudis* P. II. P. IX. *partis princ. Sect. III. n. 55. 56. v. Francisc. GALLVS de fructibus disp. 27. 9. Hartm. PISTOR. P. I. quaest. 24. n. 61. 62.* & quos praeterea allegat FACHINAEVVS *Controuers. L. VII. c. 96.*
- 2) Nimirum feudista in hoc textu mores & consuetudines Saxonum, qui ad culturam & curam respiciebant, & maximo labore finito fructus heredibus Vasalli assignabant, adoptauit, & duntaxat ad clima Italiae adcommodauit, quia in Italia tanquam in regione sub alio coelo, & sub ardentiore sole sita, alia obseruantur tempora sationum, alia messium & perceptionis fructuum. Ostenderunt hoc Viri Celeberrimi LVDEWIG. *de different. iuris Rom. & Germ. in attrib. fruct. T. II. Opp. p. 1238. et. COCCEI. cit. diff. Sect. VI §. 1. sqq. BÖHMER. de iuribus diuers. ex diuers. climat. natis §. 16.*
- 3) in pensionibus enim alijs & mercedibus ex fundo conducto, quae etiam ad fructus ciuiles referuntur v. FLEISCHER *Inst. J. F. c. 20. §. 29.* dubio procul obtinet dispositio I. F. II. F. 28. eo quod fructuum nomine praestantur, eoque ipsae in numerum fructuum adgregantur. *l. 29 de hered. pet. Hartm. PISTOR qu. 25. n. 22. STRVV. S. I F. c. 15. §. 16. n. 7.* Quod secus est in Censibus, qui non pro vsu & fructibus soluuntur, sed ex alijs causis, vel uti quod hoc cenus olim rei impositum est.

§. XXXI.

Quodsi cum aliquibus iuris feud. Interpretibus adsumere

adsumere possemus, Feudistam rationem suae sententiae in illo textu in eo collocasse, quod, quia Vasallus post Calendas Martias decedens mediam anni partem, (quem annum illi a mense septembri inchoant), superuixit, aequum sit, quia ad tempus perciendorum fructuum proxime accessit, fructus lucrari eum debere: huic rationi conuenienter quoque statui posset, Vasallum eiusque heredes allodiales census, aliosque huius generis fructus ciuiles, percipere debere, si is tempori quo census exigi possunt, propinquus decessit. 2). Et in hanc sententiam hoc lubentius veniremus, quo certius est, Dd. iam in aliquibus fructibus e. g. ratione piscium in piscinis propagationis causa existentibus, hoc principium seruare, quippe quos, si tempus, quo Vasallus decessit, piscationi propinquius fuit, quam tempori illi, quo pisces piscinis sunt immissi, heredibus allodialibus attribunt 3)

- 1) V. BITSCH. *Comment. ad II. F. 28. p. 538. add. tamen BÖHMER cit. diss. §. 19. 20.*
- 2) & hanc sententiam expressis verbis & in specie de Censibus fouentes reperio BERLICH. *P. III. c. 22. n. 16. RAVCHBAR P. II. Quaest. 22. n. 27. 28. MOLLER P. III. Const. 16. n. 1.*
- 3) praesertim in Saxonia v. BERLICH. *III. c. 45. n. 20. CARPZOV. III. c. 32. d. 26. 27. Hartm. PISTOR quaest. 24. n. 69. 70.*

§. XXXII.

Verum cum aliam illius textus rationem esse sciamus (§. XXX. 2), hanc quoque sententiam amplecti haud possumus. Circumspicienda itaque alia fructus hos ciuiles, & in specie Censuum diuidendi via. Et hic placet nobis eorum opinio, qui statuunt in illis adsignan-

dis spectandum esse, vtrum Censuum dies viuo Vasallo cesserit an non? ita vt hoc in casu census vltimi anni pertineant ad successorem in feudo, siue sit dominus is siue adgnatus: in illo casu vero demum heredibus alodialibus cedant. Equidem, quod Censuum, quorum dies viuo Vasallo cessit, adinet, hos Dd. omnes concordi calculo ad Vasalli heredes alodiales pertinere statuunt, sed quando sermo est de iis, quorum dies non cessit, discordant. Verum si rem ex analogia iuris Nat. & Romani aestimare volumus, quod hic vtique propter deficientem iuris feud. dispositionem facere debemus, aliter quam vti iam diximus, de censibus existimare non possumus. Nam regulam iuris nat. & Rom. certam habemus illam: fructus omnes sequi dominium rei vnde percipiuntur, r) quam si ad census adplicamus, venit regula: census annui, qui tanquam fructus iuris census percipiendi sunt considerandi, sequuntur dominium eius iuris. Inde patet, census regulariter pertinere ad dominum directum, in quo quippe primario residet facultas & ius census quotannis percipiendi, & licet is Vasallo facto suo, i. e. per inuestituram, census annuos ad tempus concesserit, huius tamen ius vltra concessionem durare nequit, sed simulac ius Vasalli expirat, regulae iterum locus est, & census quorum dies nondum cessit, ad dominum iuris, id est ad dominum directum pertinent, quippe resolutio iure Vasalli cessat causa, quae dominum directum in percipiendis censibus impediabat. Nisi, qui alter casus est, dominus directus olim in alium e. g. Adgnatum ius suum in hunc euentum transtulerit, quo facto census hi ad Adgnatum vel alium in feudo successorem pertinebunt.

bunt. 2) Idem quoque iure Saxon. obtinet & obtinuit dudum 3). Vnde etiam pro hac, quam proposuimus, sententia probabilis desumi potest ratio, quod nimirum credible fit, quia Feudista in cit. textu ratione fructuum naturalium (§. XXX. 2.) mores Saxonum secutus est, eum quoque in his fructibus ciuilibus eosdem probasse, licet mentem suam. expresse non significauerit.

1) v. l. 44. de R. V. § l. 25. §. 1. de Vsur. & fruct. COCCEL. cit. diff. Sect. I. & Sect. III. §. 1. BOEHMER I. E. P. L. I. tit. 7. §. 28.

2) Tuentur quoque hanc sententiam viri magni nominis. inter quos sunt praeter COCCIVM, SCHWEDER T. I. Dissp. XVI. §. 31. LVDEWIG in T. II. Opp. pag. 1251. differ. 4. STRVVIVS in Centur. Decis. dec. 5. 6. 7. ZIEGLER in diss. de iure victualium c. 5. n. 9. LYNCKER Decis. 408. & Resolut. 493.

3) v. Landrecht l. 2. art. 58. §. 2. l. 3. art. 76. in foris tamen Saxon. id etiamnum praeterea obseruant, vt census quorum dies intra tricesimum adhuc venit, vel non multo post, (quod postremum tamen alii tanquam adpenticem Carpzouianam improbant v. WERNHER Obs. for. P. VII. obs. 13. n. 17.) heredibus Allodial. tribuantur. CARPZOV. III. c. 16. def. 6. 7. HORN. Iurispr. feud. c. 16. §. ult. RICHTER decis. 56 n. 13.

§. XXXIII.

Interim tamen dissimulare non possumus, extra Saxoniam plerumque in praxi eam sententiam seruari, qua census, quorum dies nondum cessit, pro rata temporis inter successores Allodiales & feudales ductu l. 7. n. sol. matr. diuiduntur 1), quae sententia quoque non prorsus iniqua nec ratione omni destituta est, si feuda ex sua origine aestimes, vbi fructus feudi loco salarii pro

pro seruitiis assignabantur. In hanc enim considerationem conuenire videtur ratio cit. legis septimae.

- 1) WERNHER. *cit. obs. for. 13.* SCHRADER *de feudis P. II. P. IX. partis princ. Sect. III. num. 82.* STRVV. *in Cent. Decis. dec. 92. qu. 3. pag. 49. dec. 83.* CARPZOY. *III. c. 16. def. 1. n. 3.*

§. XXXIV.

Sed sufficiant haec in praesenti. Nihil nunc addimus, quam vt L. B. rogemus, vt ea quae haecenus de concessione Censuum feudali commentati, hacque qualicunque tractatione speciminis loco complexi sumus, aequi bonique consulere, eaque in quibus forte errauimus, in meliorem partem interpretari benigne velit.

T A N T V M.

COROLLARIA.


- I. Origo Feudorum a moribus Germanorum probabilius deducitur.
- II. Actioni pignoratitiae directae, ante solutionem, longissimo tempore praescribi non potest.
- III. Usurae in conditionibus nec hodie praestandae veniunt.
- IV. Priuilegia reuocari temere haud possunt a Principe.

ULB Halle
005 355 710

3







1758, 2. 35
DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE
FEVDIS CENSVM

QVAM
SVB DIVINIS AVSPICIIS
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ELECTORALI ACADEMIA ERFORDIENSI
PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTO-
RALIBVS

DIE II. OCTOBRIS A. AE. C. MDCCCLVIII.

H. L. Q. C.

SINE PRAESIDE

PVBLCICE TVEBITVR

CHRISTIAN. FRIDER. IMMANVEL
SCHORCH

ERFORDIENSIS.

ERFORDIAE,
Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

